


5 + 6 / 82

KALENDIS IVNIIS  
MCMLXXXII



RUMOR VARIVS



TOMUS 5

FASC. 35

# RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE  
LATINA TVRICENSI in aedi-  
dibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in  
singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis:  
(annum)

In Helvetia Fr. 12.--  
In Germania DM 16.--  
In Austria ÖS 120.--  
In ceteris  
Europae terris Fr. 18.--  
In terris trans  
maria sitis U\$ 12.--

Singula specimina qui  
rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Ulricus Aeschlimann  
Martinus Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Impressum et dispositionem rerum  
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, manda mittenda  
sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS  
Postfach 883  
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der  
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS  
unter dem Patronat der AKAD  
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal  
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis:  
(jährlich)

Schweiz Fr. 12.--  
Deutschland DM 16.--  
Oesterreich ÖS 120.--

Übriges Europa Fr. 18.--

Uebersee U\$ 12.--

Einzelne Probenummern können  
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam:

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Ulricus Aeschlimann  
Martin Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS  
Postfach 883  
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

# PRÆFATIO

Laus feriarum in Italia degendarum

## Cari legentes

Mox feriae aestivae aderunt. Nonnulli vestrum mensibus Iulio et Augusto locis longe remotis feriis duro labore peracto optime meritis fruentur, alii in Alpes se recipientes, alii ad litora maris. Et ego his mensibus agam, quod iam anno praeterto egi: Una cum uxore liberisque ad ripam maris Adriatici proficiscar sperans nos imbris perpetuos ventosque frigidos, quibus annus adhuc abundaverit, effugere posse. Nam est Italia, ut scimus, non modo vini, sed etiam solis patria. Offert nihilo minus permultas facultates feriarum suaviter degendarum: Cum sol lucet (lucet paene semper), quid habet Italia pulchrius quam ripas, ubi liberi nova moenia ex harena sole calefacta, aquā maris permixtā educant, dum parentes rixis, fletibus natorum liberati corpus soli exponant, ut dormientes sub radiis Iovis colore adustiore tam desiderato tegantur? Cum autem sol interdum nubibus occultatur vel cum imber aliquot horas (in Italia raro diutius manet) e caelo cadit, quid habet illa terra pulchrius quam monumenta sua clarissima, antiqua et mediaevalia, sacra et profana, quae tibi custos eloquentissimus et historiarum peritissimus parvo pretio libenter demonstrat, nisi aliqua detrectatione operandi (1) publice evocata impediatur, quo minus suo munere fungatur? Quid habet Italia iucundius quam tabernas cauponasque, quas in omni fere via cuiusque vici vel oppidi invenias, quas intres vinum dulce gustatus, quod caupo tibi optimum totius Italiae esse promiserit? Quae sunt rationes, quibus uxor, liberi, ego semper adducimur ad ferias in Italia degendas. Non nego et alias terras feriis commoda similia præbere, ut e.g. Francogallia, Hispania, Iugoslavia velut reliquæ terræ circum mare Mediterraneum - miserabile dictu omnibus ripis pariter pollutum - sitae. Licet præbeant etiam regiones

montuosae Alpium ea, quae veris feriis digna censem; mihi vero meisque verbum "Italia" semper videbitur idem significare atque feriae, sol, mare, otium.

Quocumque vos, cari legentes, proximis feriis iter vertetis otium quaerentes: Curate, ut hunc fasciculum aut aliquos Rumores Varios prius editos vobiscum portetis! Nam Rumor Varius efficit, ut feriae numquam taedii plena eveniant.

(1) detrectatio operandi = der Streik

Valete!

  
Udalricus Aeschlimann

## Litterae ad legentes

Cari legentes,

a.d. III. Id. Iun., seu hodiernius dictum die XI. mensis Iunii, Ernestus Kappeler festum natale celebrat. Plurimis vestrum nomen Ernesti Kappeleri notissimum esse mihi persuasum est. Si qui forte sint inter vos, qui ignorant illum virum celeerrimum, paucis, si libet, eum vobis proponam:

Ernestus Kappeler, vir Turicensis, ut poeta clarus, lepidus praecipuaque sensibilitate munitus, ita etiam est magister et educator optimus, qui semper amorem quam severitatem adhibere malens pueris puellisque innumerabilibus partim scribendo partim ipse educando summo auxilio erat, est, erit.

Ex eius opere, quod continet carmina Germanice vel Turicensiter composita, dramata, aphorismos alteriusque generis legibilia (et legenda!) permulta, transverti carmina tria, quae animum meum maxime commoverunt. Sint vobis quoque gaudio!

### CARMEN PATATAE ('s Härdöpfelliad)

Non pulchra ego, sed sum verrucosa,  
ne gallo quidem vorabor lutosa;  
centenam iniciunt me fisculo,  
vilissimo aestimant me pretio:  
non ego sum rara, paulum valeo:  
Patata sum, culpam sed non habeo.

Si viridis sum, relinquor in pratis,  
ludibrio sum cunctis animatis,  
sin parva, me porculis dant pabulum,  
nec eis re vera novissima sum,  
acclamant me, grunnitum tunc timeo:  
Patata sum, culpam sed non habeo.

Sed bona si sum, me sacci complentur,  
culina meis, ut ibi laventur.  
Me secant et nudam reddunt contra mores.  
Quis vestrum est tantos iam passus dolores?  
Tum calefit adeps et iam ardeo:  
Patata sum, culpam sed non habeo.

Est patria mi tellus tenebrosa,  
sum valida hic, lux mihi morosa;  
vos solem habete, contegite me,  
profunda in terra fruor requie.  
Includite obice vos aeneo:  
Patata sum, culpam sed non habeo.

### AMOR MORTUUS (Toti Liebi)

1. Frigore tu peristi,  
hiems cum invaserat.  
Num exuri flos quiasti,  
amor praeterierat?
2. Credo saepe te venturam  
et exspecto anhelans;  
verbum dic te reddituram  
portam mihi reserans!
3. Ne diutius morari  
fac me, ama rursus me,  
flos iam coepit exsiccari,  
foliis privare se.
4. Solis radius arcetur  
oculorum glacie.  
Novi: nil ni retinetur  
desiderium in me.

NOCTU (Z Nacht)

1. Dixisti quid?  
Per avis volitat,  
flat ventus tenebris,  
et infans dormitat.
2. Si esset antea, cum te  
mearem in agris.  
Roganti: "Eris apud me?"  
voverem res omnis.
3. Exstingue lumen, manum da,  
cadunt in anni nos,  
argenta nuptialia  
pingebant iam pilos.
4. Non tibi ego rex eram,  
non dedi solium,  
sed solam parvam speculam,  
coronam puerum.
5. Audisne flare posse nunc?  
Quam cito homo fit!  
Parumper manet, abit tunc.  
Quo? Nemo nostrum scit!

Martinus Meier

## MORTES

### Petrus Wiesmann(us) vita defunctus

Vixi et quem dederat cursum fortuna peregi. Publius Vergilius Maro.

Petrus autem Wiesmann(us), vir ille vere Helvetius de Latinitate summe meritus, singularis, praedicabilis morte acerrima nobis est ereptus. Tristissimo, eheu, nunc demum nuntio certiores facti sumus propugnatorem illum Latinitatis summa eruditione praeditum et in patria Helvetia et in Germania finitima et ubivis, ubicumque terrarum gentiumque pari modo et ratione observatum et cultum et dilectum iam die Mercurii

(quarta feria) XIV<sup>o</sup> mensis Ianuarii anno MCMLXXXI<sup>o</sup> de vita decessisse atque diem suum extremum Curiae Raetorum in oppido obiisse. In sectione chirurgica nosocomii seu valetudinarii publici Curiae Raetorum subita morte (arteriae obstructione emboliaque subsequente) periit deque vita migravit. Multis enim bonis flebilis, eheu, diem extremum obiit.

Natus est Petrus Wiesmann(us) die Mercurii (quarta feria) XXVI<sup>o</sup> mensis Octobris anno MCMIV<sup>o</sup> Herisaviae in oppido semipagi Rhodarum Exteriorum pagi Abbatis Cellae patre Paulo (medico primario seu principe valetudinarii seu nosocomii publici Herisaviensis), matre Iohanna e gente Steiger. Iam a parvula aetate, ab infante, a puero tamquam paene (cum) lacte matris nutricis amorem antiquitatis praebibit, hausit, suxit, nam mater filiolum iam a primis temporibus aetatis admiratione implevit Latinitatis Greacitatisque.


Patre Paulo medico ante tempus mortuo Petrus puerulus cum matre Iohanna Turicum se contulit oppidum, ubi autumno anni MCMXXII<sup>o</sup> gradum baccalaurei est adeptus. Per lustrum (annos quinque) exinde in universitatibus Turici, Monaci Bavarorum, Coloniae Agrippinensis Arae Ubiorum ad Rhenum rebus gestis historicis et linguis (non solum veteribus classicis, sed etiam novis vernaculis, exempli gratia causaque et linguae Hebraicae et Arabicae et Neograecae etc.) studuit. Diplomate magisterii superioris ornato Turici in oppido autumno anni MCMXXVIII<sup>o</sup> gradum adeptus est doctoris philosophiae atque in gymnasio pagi Turicensis, quod olim ipse discipulus iuvenis frequentaverat, uti magister auxiliarius discipulos docebat erudiebatque. Postea autem, ab autumno anni MCMXXXI<sup>o</sup> uti magister ordinarius Curiae Raetorum in gymnasio pagi Raetorum seu Grisonum per lustra fere decem (per dimidium fere saeculum) linguas classicas veteres atque res gestas historicas docebat summa reapse indole docendi summisque ingenii facultatibus erudiendi praeditus ornatusque. Ab autem anno MCMLIII<sup>o</sup> per lustra duo (annos decem) uti rector gymnasii pagi Raetici Curiae Raetorum in oppido munere in omnibus obligationibus officiisque persequendis diligenter functus est. Anno autem MCMLXX<sup>o</sup> tamquam rude donatus atque cum annuis praebendis dimissus quieti nequam inutilique neu-

tiquam se dedit, sed usque paene ad finem valde acerbam linguas dilectas diligenter docere numquam desit.

Canticis carminibusque Germanicis in linguam Latinam, ut aperte verumque dicam, ingeniose summaque reverea indole versis redditisque translatisque non solum in patria Helvetia, sed etiam in Germania finitima et ubicumque terrarum locorumque gentiumque perpetuam sibi peperit gloriam, laudem, famam. Vir ille modestus, qui gloriam spreverat semper, veram nunc habebit in aeternum. Paene infinita est copia operum eius, opera autem omnia hic singillatim enumerare non possumus. Omnibus enim nota sunt carmina eius, exempli gratia causaque: 1. Petrus Hirsutus (Der Struwwelpeter) medici Francocfordensis Henrici Aulici - Tonitru (Heinrich Hoffmann - Donner, 1809-1894). 2. Nosce te ipsum (Kritik des Herzens), e carminibus pictoris poetaeque Germanici Guilelmi Bosci (Wilhelm Busch, 1832-1908). 3. Carmina viatica et studentium sub titulo "Gaudeamus igitur" scriptoris poetaeque Germanici Iosephi Victoris Scaphilarii (Josef Victor Scheffel, 1826-1886). 4. Carmina Lunovilia (Mondschaftgedichte, Lunovis = Mondschauf) poetae Germanici Christiani Stellae Matutinae (Christian Morgenstern, 1871 - 1914) et quae sunt etiam reliqua et caetera et quae sunt generis eiusdem.

Vir autem ille clarissimus de Latinitate colenda summe meritus omnique laude dignus omnibusque virtutibus ornatus omnique vita eruditioneque excultus expolitusque, cuius nomen longe lateque vagatur, cuius fama per omnes est propagata iam terras et locos et gentes, (a) morte acerrima nobis marentibus lugentibusque ereptus attamen non omnis mortuus est, sed in cordibus, in animis, in mentibus, in pectoribus nostris et porro vivet et vigebit et habitabit, nam: dignum laude virum Musa ipsa vetat mori!

Amicus



## Facete lepideque dicta

Alfredus autem Ludovicus Carolus de Mussetio, (vulgo Francogallice: Alfred Louis Charles de Musset), 1810 - 1857, ab actrice quadam Parisiensi arroganti, muliere infamosa, ubique locorum iniuriis oneratus et postremo in vestibulo theatri propalam ab ea criminose interrogatus: "Nonne ain Tute, scelerate, is es, qui mecum concubuisse gloriatur?" - Tum Alfredus Ludovicus Carolus de Mussetio corpore inclinato eam salutans "O, bom-bax mehercle, nequaquam, inquit, domina mea, egometipse, ut aperte dicam, glorior de contrario!"

\* \* \* \* \*

Poeta Francogallicus ille ingenii tardi Ioannis Baptista Russus (vulgo Francogallice: Jean Baptiste Rousseau), 1671 - 1741, carmen, cui titulus "Posteritati" (vulgo Francogallice: à la Posterité) pepigit. Franciscus autem Maria Adruetius (vulgo Francogallice: François Marie Arouet), 1694 - 1778, qui anagrammatice et Voltarius (Francogallice: Voltaire) dicitur, compsissume "Carmen illud, inquit, ad locum constitutum numquam perveniet!"



### S O L V T I O N E S

Solutiones aenigmatis, quod vobis in RVMORE VARIO 3+4/82 proposuimus, hic demonstrantur:



<sup>1</sup> A	<sup>2</sup> R	<sup>3</sup> U	<sup>4</sup> L	<sup>5</sup> A	<sup>6</sup> M
<sup>2</sup> R	<sup>3</sup> E	<sup>4</sup> N	<sup>5</sup> A	<sup>6</sup> T	<sup>1</sup> A
<sup>3</sup> U	<sup>4</sup> N	<sup>5</sup> I	<sup>6</sup> T	<sup>1</sup> E	<sup>2</sup> R
<sup>4</sup> L	<sup>5</sup> A	<sup>6</sup> T	<sup>1</sup> A	<sup>2</sup> S	<sup>3</sup> T
<sup>5</sup> A	<sup>6</sup> T	<sup>1</sup> E	<sup>2</sup> S	<sup>3</sup> T	<sup>4</sup> I
<sup>6</sup> M	<sup>1</sup> A	<sup>2</sup> R	<sup>3</sup> T	<sup>4</sup> I	<sup>5</sup> S

# Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA KALENDIS IVLIIS MCMLXXXII EST!

PRAEMIA SVNT: primum praemium: LIBER  
secundum praemium: LIBELLVS  
tertium praemium: LIBELLVS



1. dea Romana
2. nascerer
3. instrumentum ad modum faciendum (vel nomen puellarum)
4. quod magistri facere conantur (3.Pers.Praes.Sg.)
5. similiter significam ac "alligo"
6. ira exarsos

Hoc aenigma composuit

Daniel Weissmann



1	2	3	4	5	6
2					
3					
4					
5					
6					

*Praeterea homo est eiusdem generis, cuius nos omnes!*

Discipuli quartae cuiusdam classis scholae primariae Schindellegis (Schindellegi, -orum m: vicus Helveticus in pago Schwyz situs) sitae scholam specialem visitaverunt, cui nomen est "Sonderschule Auskerschwyz", et cuius domicilium est Rivi Liberi (Rivus Liber Germanice "Freienbach" vocatur vicusque eiusdem pagi Schwyz est). Singuli discipuli primarii aderant singulis discipulis specialibus in pingendis corculis et plicandis ranis. Postremo omnes una caudicibus ligatis luserunt canendique ludo interfuerunt.

Nonnulli discipuli primarii valde mirati sunt agilitatem discipulorum specialium: "Barbara erat peritissima plicandi et pingendi. - Interdum non per difficile est lusu cum eis!"

Multi primarii antea speciales vultu abstruso et gestis stultis esse rati nunc se deceptos intellegunt magnique illos aestimant: "Martinus sodalis fuit meus. Qui non multo impeditus erat. Ut calculare non bene potest ita praeterea homo est eiusdem generis, cuius nos omnes."

Ita liberi homines secundum habitum quam effectum censere malunt: "Sodalis meus valde erat timidus miroque modo me est contemplatus. Sed amabilissimus erat."

Schola speciali visitata in plurimis excitatum est desiderium saepius visendi discipulos speciales. Classis quidem specialis eandem classem quartam Schindellegiensem visitabit.

Huiuscemodi visitationes praecipue "anno impeditorum", quem nuper celebravimus, opiniones praeiudicatas, quas habemus in discipulos speciales non modo in scholis diurnis classibus in parvis imprimis excultos, sed ea causa etiam separatos ab aliis, superare possunt.

Iosephus Eggler

## De itinere maritimo nuper facto

Narrationis pars tertia

Kusadasi Turcorum lingua appellatur oppidum ad oram Asiae Minoris situm non procul ab insula Samo. Cuius in portum sub meridiem advenimus. Locus est adspectu plane orientali miraque amoenitate. Inde automobili grandi viginti fere minutis vecti Ephesum pervenimus, quae urbs temporibus antiquis iuxta oram erat sita, nostro tempore octo milia passuum ab ora distat. Migravitne urbs? - Minime, sed fluvius duobus milibus annorum tantam molem terrae ad mare versus portavit, ut magis magisque ora processerit procedatque adhuc, dum ille fluvis fluet. De Epheso antiqua certo narrare audivistis vel legistis ut homines docti scilicet. Itaque non ignoratis ibi quondam exstisset unum e septem, quae dicuntur, miraculis, templum Dianaee Ephesiae, quod eadem nocte, qua Alexander Magnus natus est, vi incendi deflagravit. Cuius incendii auctor Herostratus quidam fuisse traditur. Quem in iudicio interrogatum, cur facinus tam incredibile commisisset, respondisse dicunt: "Nomen meum, inquit, volui numquam in oblivionem esse venturum." Concedendum est illum hominem id, quod appetiverit, assecutum esse; alioquin nunc de illo non scriberem, et reapse etiam nunc Herostrateum appellamus facinus, quod alio consilio nullo committitur nisi ut palam fiat nomen auctoris.

Urbs Ephesus etiam in Novo Testamento commemoratur legimusque Paulum apostolum contionatum ibi esse evangelium praedicantem, minore quidem successu, civibus per vias clamantibus: "Magna est Diana Ephesiorum!"

Longo agmine conviatorum lente gradientes in vasto campo ambulabamus reliquias antiquitatis spectantes, dum dux itineris nostri singula loca, moenia columnasque dirutas interpretatur atque diserte docteque exponit, modo iocose, modo graviter verba faciens, ut qui peritissimus esset muneris sui, homo eruditissimus, caput ducum patriae sua, ut ipse parum modeste professus est. Nihilominus valde laetabamur verbis

eius animique nostri commoti erant memores caducitatis humanae vitae. Cogitatione fingebamus urbem ibi quondam vita plena animatam, homines aequi ac nos laetitia, timore, spe, curis agitatos, tamquam in aeternum viverent. Ubi sunt nunc? Esse desierunt, immersi in quietem aeternam. Cogitabam de psalmo centesimo secundo: "Homo sicut foenum dies eius; tamquam flos agri sic efflorebit: quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet; et non cognoscet amplius locum suum." Legite, si placebit, psalmos CII et CIII, namque numeratio psalmorum in versione Lutheri non congruit cum illa bibliae Latine scriptae.

Lassi tandem tot visis auditisque sub vesperum ad portum reversi navem nostram escendimus, cuius in refectorio ampio cena et societas laeta nos accepit. Siren (Sirene) navis ululavit ancorisque solutis mare altum petivimus, cursum tenentes ad insulam Myconum procul sitam in mari Aegaeo. Machinis obtuse frementibus usque ad medium noctem una cum amicis iucunde sermonicabamur - Gilsi quoque aderat - in alto tabulato (Oberdeck), sub caelo stellato, aura tepide flante, nihil timentes, nullum periculum imminere confisi, cum de improviso navis ictu subito quasi substitit velut ac si scopulum offendisset. Surgimus territi, aliis ex alio, quid acciderit, pavide quaerit. Nemo respondet, omnes inquieti inquirunt, concurrunt. Transeunt minutae paucae timoris plenae, cum tandem quidam alta voce: "Nihil est periculi, navis tranquille provehitur, eamus cubitum!" Et oboeditum est, tabulatum vacuefit, suum quisque cubiculum petit somnoque immersis nox placida peracta est.

Postridie mane, ientaculo habito, conviatorum frequentia in tabulatum convenit. Iove sereno, mari tranquillo multus sermo metu iam liber de nocte proxima habebatur; iucunde apri-camur (sich sonnen) confabulantes ut iam inter amicos. Etenim iter una facientes facile fiunt amici, ut ita dicam, at vix domi alius alterius in oblivionem venit. Quod quam verum sit, nonnumquam expertus sum.

Interdum dextra vel sinistra parte una et altera insula procul in adspectum veniebat, cuius nomen nemo nostrum sciebat. Multo vespere ex amplificatore (Lautsprecher) vox est audita

nuntinas hora post nos esse in portum insulae Myconi adventu-  
ros. Ibi nobis facultatem futuram ambulandi in viis oppidi,  
spectandi tabernas et, quae quisque vellet, emendi. Iam nox  
atra erat, cum portum intravimus, ut formam adspectumque in-  
sulae locique iam non cerneremus. Quae res condicioque omni-  
no est, quam de toto itinere queror: re vera parum vidimus  
terram Graecam, plurimum temporis nave vehentes, paucas tan-  
tum horas e nave egressi ad loca spectanda, ita ut dicam nos  
iter quidem in Graeciam fecisse, sed nihil fere vidisse im-  
peritosque locorum domum revertisse. Attamen amicos inveni-  
mus, quod multo minus queror, iucundam societatem conviato-  
rum optimeque epulati sumus vinoque Graeco non parum hausto  
ventres obesos, eheu, domum portavimus.

In insula Mycono per vias angustas, tortuosas, viatorum ple-  
nas ambulabamus, coniuge mea tabernas curiose inspiciente,  
me minus, neque quicquam, meo quidem iudicio, visu vere dig-  
num vidimus nisi quae muliebre ingenium ad emendum pellice-  
rent. Tandem ad propinam (Kneipe) deversi unum et alterum  
poculum vini hausimus, aures praebentes sermonicantibus cir-  
cum, ego quidem semper inquietus timensque, ne sero ad por-  
tum reverteremur, uxor autem incuriosissima, ut semper,  
meumque timorem ridens. "Surge, surge", dicebam iterum ite-  
rumque, "hauri poculum, hora premit, sero adveniemus. Sume  
saccum (Tasche), iam diutius moramur!", dum illa, tamquam  
non audiret verba mea, placido ore viatores prope sedentes  
pergit spectare. Ita, eheu, semper re se habebat habetque in  
itinieribus nostris ubique omniisque tempore: uxor tranquilli-  
tas ipsa, ego turbatio in persona, semperque ad ultimum illa  
reapere eventu vicit. Tum quoque in tempore ad automobile  
grande advenimus, quod ad portum XV minutis distantem nos ve-  
xit. Ibi, in portu scilicet, navicula per tenebrosas undas  
ad navem magnam vecti sumus, quae mille passus ab ora aberat;  
namque propius ad oram advehi propter eius magnitudinem ne-  
quivit.

In illa navicula convenimus domnulam (Fräulein) iam non ignotam, quae superiore die graviter nauseaverat (an Seekrankheit leiden), ita ut omnes nos misereret modo, modo etiam

pigeret, quippe quae nimis aperte, libere, sine ullo pudore  
narravisset de singulis partibus nauseae, quas doluisset.  
Tum autem, in navicula, iterum, non interrogata nimirum, nar-  
rare coepit de vomitu, de coloribus rerum vomitarum, de tur-  
bationibus viscerum suorum tam familiariter, ut simplicitas  
animi eius vix esset credibilis inque periculum vocaretur no-  
bis desiderium cibi futuri. Eheu, care lector, veniam peto  
abs te, quod narravi, quae narranda non erant, sed quae  
scripsi, scripsi. Evidem summopere mirabar illam domnulam,  
eo magis, quod satis erat pulchra, gracili statura, nitido  
ore, vultu venusto, quae omnia minime erant apta ad loqua-  
citatem eius.

Multa nocte iterum navigantibus nihil scilicet terrarum in  
conspectum nobis poterat venire neque insulae Cyclades neque  
Atticae ora. At postridie mane, dum ientamus, casu per fe-  
nestram specto proculque conspicio promunturum aura matutina  
nitens, quod non dubito, quin Atticae sit. Exsulto, fru-  
stum panis inter labia mihi pendet ita, ut amentis quasi  
aspectum praebeam uxori, quae: "Quid agis?", inquit, "Insa-  
nisne? Asside et sanum te gere, amabo!" Uxor mea, deliciae  
meae, multa intellegit moresque meos novit, at interdum stu-  
pescit tamen neque iam, quid sentiam, sentit. Vos autem, ca-  
ri legentes, fingite magistrum, qui annos quadraginta disci-  
pulos docuit linguam Graecam plurimaque nimirum discipulis  
credulis de terra populoque Graecorum narravit, ipse autem  
numquam viderat! Estne res quodam modo satis ridicula? Uni  
mihi erit solacio, quod de antiqua, non de Graecia temporis  
nostrri narravi. Nunc autem, vel potius tum, illa hora matutina,  
cum terram Atticam primum conspexi, animum meum valde  
commotum esse quis miretur? Itaque plura dicere supersedeo  
vobisque concedo, ut cachinnetis meque irrideatis.

Parva hora post in portum Piraeum intravimus. Quo de portu  
quae narranda erunt, quae de Athenis ipsis, de Acropoli, lo-  
cus qui est totius orbis celeberrimus, narrabo libello, qui  
edetur mense Augusto. Valete!

Dr. Emanuel Bernard

TRAGOEDIA

BENITI MUSSOLINI

Scrispit : Plinius Prioreschi

In Latinum converterunt: Ernestus Brehm

Thomas Coffey

Plinius Prioreschi

Copyright by P. Prioreschi 1978

\* \* \* \* \*

ACTUS I

Scaena II Nocte. Assidens scriptorio Mussolini aliquas chartas legit. Imago paulo post lente extra circulum lucis lampadae appetet. Hominis imago est toga Romana induti.

Mussolini: (Caput levans imaginem videns) Quis es? Quomodo custodes circumvenisti?

Caesar : Solum umbra sum atque custodes mihi obstare non possunt. Quod attinet ad identitatem meam certe me agnoscis.

Mussolini: Noli ridiculus esse! Larvis et umbris non credo. Abi atque ridiculam vestem effunde! (Ima-

go non respondet ac immobilis manet). Curabo ut custodes dimittantur. (Pausa). Larvis non credo. Potest Iulius Caesar solum in somnis videri.

Caesar : Hoc fortasse somnium est.

(Pausa est dum Mussolini oculos manu velat)

Mussolini: Hic dies strenuus fuit. Contiones... strepitus.....iam a mane Italia in bello est.

Caesar : Ita est.

Mussolini: Quid vis?

Caesar : Tu me evocavisti. Cum consilia de pace et bello eliguntur larvae praeteriti semper evocantur. Futurum incognitum est atque homo, pavens, a praeterito auxilium petit.

Mussolini: Vere te evocavi. Nunc Italia in bello est. Italiae gubernatio....

Caesar : Quae es tu.

Mussolini: Vere.... Italia bellum Francogalliae et Angliae indixit.

Caesar : Tu statuisti bellum Francogalliae ac Angliae indicendum esse.

Mussolini: Ita....et....sum....

Caesar : Trepidus.

Mussolini: Trepidus.

Caesar : Metus, pavor, cura tecum usque ad finem erunt.

Mussolini: Necesse fuit bellum indicere. Germani vincunt. Sinere non possum eos ad tabulam pacis solos considere. Aliquot milia mortuorum necessaria mihi sunt ut victor ad tabulam pacis considere possim. Similis occasio fortasse non iterum accidet. Si Germania sola vincit, Italia diu parva atque submissa permanebit.

Caesar : Atque si Germania devincetur?

Mussolini: Eventus Italiae idem est: obsequium atque obscuritas. (Pausa). Potuimus nos iungi ad numerum hostium Germaniae. Italia hoc antea fecit. Quid obtinuimus? Miseras et paucas micas. Quin obtinere poterimus ex nova Germaniae clade etiam nos victores? Germania nihil habet nisi virtutem et voluntatem pugnandi. Haec partiri inter vatores non possunt. Iam hostes Germaniae orbem possident et divites cum aliis non partiuntur nisi coacte. Altera optio mihi non est. (Pausa). Si Italia magnum imperium iterum facienda est, puto iuxta Germaniam non contra pugnare necesse. (Pausa). Si neutri essemus ..... confessio nostrae inferioris conditionis esset, parvi referunt quis vincat.

Caesar : Si autem Germani vincentur, Italia, eorum socia, plus patietur.

Mussolini: Ita, sed hoc periculum adire me oportet. Italia debilis et humiliata per saecula fuit. Iamdudum Italici hilotae Europae fuerunt. Magnam nationem non possum ex cineribus facere nisi periculum subibo.

Caesar : Putasne Germanos victuros esse?

Mussolini: Videtur in eo esse ut vincant.

Caesar : Quantumne adiuvare potes?

Mussolini: Paulum. Italia bello Europeo parata non est.

Caesar : Si vos Germanis debiliores eritis, ei domini erunt.

Mussolini: Non ita si fortiores quam sumus videmur..... fortasse possumus.....cum nonnullis celeribus victoriis ante bellum confectum.....fortasse possumus eos ad credendum movere nos fortiores esse quam sumus. Tempore mihi opus est. Bello

Italia non parata. Debui primum alia impedimenta superare.....miracula perficere non possum. Non possum nisi omnem occasionem arripere ad maximum beneficium nostrum. Post bellum Italia vere fortis fiet. Nunc necesse est vincere copias quae nobis sunt. Sequemur Germaniam ad victoriam.....Francogalliam ex meridie invademus.....mortaliter vulnerata est et mox colabetur.....nostri in Aegyptum atque Somalam Britannicam progradientur, deinde Germania icatum mortalem Angliae afferet priusquam Status Uniti....tardus colossus....interveniant.... bellum finem capiet antequam debilitatem Italiae aliquid detegat. (Pausa). Vultures sumus qui moribundam Francogalliam et debilitatam Britanniam praedamur. Sciacalli Europae sumus. Partes illas Italia prius egit. Nunc tamen pellem leonis gerimus. Pellem leonis quae mutationem futuram sciacalli in leonem teget.... sed tempore opus est.....nunc.....(Pausa)..altera optio mihi non est. Consentane?

Caesar : Sunt semper optiones. Aliquae non tam optimales quam aliae.

Mussolini: Futura scis.....

Caesar : Sola praeterita.

Mussolini: Solane praeterita?

Caesar : Umbra praeterita sum. Praeteritum quod evocavisti. Sola praeterita scio.

Mussolini: Legiones Romanas ducebas, turbam servorum duco. Eos loricis vestivi atque in proelium misi. Solum eorum numerus magnus est. Non possum miracula perficere. Viginti anni saecula servitudinis delere non possunt. Italici post victoriam iterum lente discent cum virtute vivere. Iterum discent si homines fortes aut de-

biles, duces aut insequentes, domini aut servi  
sint, ut eos oportet fortis, duces, dominos  
esse sicut maiores fuerunt. Sed id non fiet  
sine tempore et me est opus nunc Italiam ad vic-  
toriam ducere ut si potentissima esset. Hactenus  
hostium et sociorum animos percutere potui.  
Aleam iacio in citam victoriam. Citam. Antequam  
nostra debilitas manifesta fiat. Legionarii tui  
fortes erant, disciplina temperati, ad vincen-  
dum aut moriendum parati..... (Caesaris imago  
lente evanescit).

Mussolini: Mane! Me necesse est tecum loqui! Tui egeo.  
Solus non possum, onus sustinere.....  
(Imago in habitu proprio Arlequini lente appetat.  
Imagine clara, Arlequinus piroettam facit).

Arlequinus: Ohe! Ohe! Arlequinus sum.

Mussolini : Quid vis?

Arlequinus: Auxilio veni! Adiuvabo in causa belli! Insig-  
nia generalium amiraliorumque induere possum,  
possumque gladio uti. (Gesta duellatoria facit  
ut si vere duellans). En attende! En attende!  
Etiam carrum cataphractum aut navem gubernare  
possum! Mei indiges! Iube me! Quid vis ut fa-  
ciam? Eh? Eh? Quid possum facere? Impera atque  
obediam!

Mussolini: (Oculos manu velat. Deinde tristis et deiectus)  
Abi! Abi!

Arlequinus: Minime! Nullo modo! Hoc iustum non est! Me e-  
vocabisti! Adsum et adero! Ius habeo! Me evo-  
cavisti ad iuvandum in causa belli.

Mussolini: Te non evocavi.

Arlequinus: Immo me evocavisti! Te audivi! Dixisti auxilio  
meo tibi opus esse! Videbis, quomodo te adiuva-  
re possim. Omnium animos percutiam, tantum stre-

pitum faciam.....Bum!.....Bum! ....Porro!  
Porro! Ad vincendum! Ad superandum!

Mussolini: Discede!

Arlequinus: Nonne mente capis? Tibi necessarius sum! Magis  
cogita et mente cernes me tibi necessarium esse.  
Quomodo omnibus persuadebis tuas copias invin-  
cibles esse? Atque classem tuam paratam ad ma-  
re regendum? Visne te debili vigore percutere,  
sed percussum magno cum clangore sicut heroes  
Homeri cadere? Visne? Ergo astutiae meae tibi  
necessariae sunt. Visne magnum, quem sublevare  
non potes, gladium tractare, ut hostes perter-  
reas? Sine cura sis, possum unum providere ca-  
vum, levem, qui solidus videatur. Nonne capis?  
Si non astutiis nonnullis uteris, in hoc lusu  
victus eris. Consentisne?

Mussolini: Consentio.

Arlequinus: Visne Italiam honorandam atque reverendam esse?  
Visne?

Mussolini: Volo.

Arlequinus: Visne Italiae gloriam antiquae Romae reddere?  
(Pausa) Visne?

Mussolini: (Post pausam) Volo.

Arlequinus: Nonne vis multitudines sistere miserorum emi-  
grantium Italicorum qui in omnes terras eunt  
et linguam cultum atque humanitatem nonnullis  
frustis commutant?

Mussolini: Volo.

Arlequinus: Vidistine umquam illas photographias? Ille,  
scrutis indutus, pavidum verberatum animal vi-  
detur, passurum verbera quae semper ruunt in  
miserabilem advenam. Illa infimis pensis la-  
borabit, ad omnia parata ut aegrotios libe-  
ros, ludicris nimium amplis vestimentis indu-

tos, alat.....Quorum sunt milia, millena milia. Nepotes magnorum Romanorum. Ad servendum in quattuor angulos mundi eunt. Patriam deserunt quia terra aliena dives est etque si satis renidebunt, si eorum scurrilitates delecatabunt, si laborem quem etiam pauperes recusant perficiant, tunc licebit satis cibi eis dare ac fortasse originem eorum liberorum quoniam oblivisci.Nepotes magnorum Romanorum. Solum servire sciunt.....

Mussolini: Satis.....Satis est!

Arlequinus: Certe omnia haec inhibere vis.

Mussolini: Volo.

Arlequinus: Tunc te necesse est fortiorem quam es videri, ergo indiges mei. Cur igitur me dimittere vis?

Mussolini: Quia, quod est magis detestandum, repraesentas: debilitatem, dolum, fallaciam.....quia hominem ad fundum dedecoris atque ignominiae pellis... ....quia tu es.....Fraudator ipse.

Arlequinus: Touché! Touché! Attigisti me. Homines me non minibus multis appellaverunt. Hodie hunc habitum elegi quia tam Italicus est.....Commedia dell' Arte et cetera.....sed ad negotium.....magnam vis Italiam facere, ignomonia emigrationis prohibere, gloriam antiquam restituere.....

Mussolini: (Clamitans): Ita, ita est! Noli denuo incipere!

Arlequinus: (Dulci voce): Tum considamus atque singula discutiamus.....  
(Considit ad scriptorium iuxta Mussolini)

SIPARIUM

SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
(ich abonneiere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
DONO DATVM ALICVI  
Factura subnotationis mit-  
tenda est ad addressam infra  
stantem.  
(ich abonneiere RVMOR VARIVS für  
mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS  
Postfach 883

CH-8050 Zürich

Datum und Unterschrift:

HIC SOLVTIONEM INCRIBE  
ET CHARTAM MITTE!

DOMICILIVM MEVM:

1	2	3	4	5	6
2					
3					
4					
5					
6					

RVMOR VARIVS  
Postfach 883


CH-8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

5+6 / 82

KALENDIS IVNIIS  
MCMLXXXII



RVMOR VARIVS



TOMUS 5

FASC. 35